

Sed ordinem verborum turbatum aliterque legendum esse ex MS. Achillis Statii Neapolitani docet Ciosanius, qui sic restituit:

*Ultima pars lucis primaq; noctis erat.*

Cæterum Græcis Ἀγγελία Θεῶν Τιτῶν ab Orpheo in hymnis. §.7. χρυσοθρονῶν ab Homero in hymno Veneris & alibi. ῥοδοδάκτυλῶν, passim. ἐρυθραινομένης, λαμπροφώρῶν, ἑάνηφώρῶν dicitur. Vide Gyraldum histor. Deor. Syntagm. VII. p. 355. Pudoricolor à Nevio Poëta vetustissimo in fabula Alcestidis appellatur, nec unquam non à Poëtis sub variis nominibus blandè habetur, quæ passim invenias.

Ὅρισμός constat Genere & Differentia. Pars diei est Genus, idque §.8. relativum, quale partium esse consuevit. Differentia particulâ prioritatis & quatuor causis, efficiente principali lumine Solis, minùs principali, eaq; simul materiâ in qua, & subjecto quasi quò, exhalatione, subjectò quasi quod & circumstantiâ loci, Oriente, formâ fiendi, refractione, essendi, dubiâ luce, & fine denique, diei augmento & universi ornamento, constat.

## SCEMMA I.

Aurora est diei pars prima.

Ἐξέλιγμῶν

I.

Συλλήβδην.

§. 1. Diei mensura juxta lumen Solis. Secundum horas. Indè incertum Auroræ initium. §. 2. Duo initia, unum ad horam, alterum ad aram alligatum, rejecta. Nostrum ex Macrobio positum. Metaphora Biblica hinc illustrata. §. 3. Diei naturalis & artificialis discrimen. Non naturalis sed artificialis pars Aurora. Dubium solutum, Physicè. Juridicè. Testimoniò. §. 4. Terminus Auroræ positus contra Cornel. à Lapide.

II.

Ἐπίπλεον.

Hebræi Veteres teste Scaligero de emendat. tempor. lib. 1. præter §. 1. mane, meridiem, & vesperam, nullas diei partes novère. Totum verò νυχθήμερον in quatuor vigiliis distinxerunt, quarum prima e-

rat